




DE REQUISITIS, ET NON REQUISITIS AD LUCRANDAS INDULGENTIAS


DISSERTATIO

ANDREÆ HIERONYMI ANDREUCCI

E SOC. JESU



Ad usum Congregationis Sacerdotum in Domo Professa Romana ejusdem Societatis.





ROMAE, Typis de Rubeis. MDCCLIX.

SUPERIORUM PERMISSU.

Illmõ, ac Rmõ Dño Dño

ANTONIO EUGENIO VICECOMITI

Sacræ Indulgentiarum Congregationi a Secretis.

AUTHOR F.



Uo potissimùm sunt, quæ Scriptores librorum adigere consuevere, ut ii spectatissimum Virum seligant, cui lucubratio-

nes suas obsequentissimi nuncupent. Alterum est, Amor Patrocinii obtinendi: Alterum est, Studium Observantiæ significandæ. Ambo hæc me adduxere, ut Opellam hanc qualemcumque Tibi, Illustrissime, ac Reverendissime Præsul, inscriberem. Amabam quippe Virum præsto esse, qui illam in se reciperet, eamque tueretur Nobilitate sua, & Pietate. Illicò pro ea, qua es in me benignitate; Ipse mihi occurristi, in quo si spectetur Nobilitas; ex ea Gente originem trahis, quæ Mediolanensium olim rerum potita latè per Insubriam dominabatur, quæque Supremum


mum edidit Romanæ Ecclesiæ Moderatorem B. Gregorium hujus nominis Decimum P.O.M. *, *totque illustres ex ea prodiere Viri domi, militiæque clarissimi, ut eam Gentem nominasse, cumulatissimè laudasse sit. Si verò spectetur Pietas, is es qui absolutissima a majoribus cura institutus innocentia vitæ, morum ac religionis laude apud probatissimos quosque commendaris, qui omnibus obvius & expositus, plenusque humanitate, nihil antiquius habes, quam iis animum disciplinis, institutisque ut imbuas, quæ Ecclesiasti-*

* Ex Spondano in Auctario ad an. 1271.

stico Viro, & Sedis Apostolicæ Administro plurimùm venerationis acquirunt. Optabam præterea publicum observantiæ in Te meæ testimonium dare, sed expectabam temporis opportunitatem: Hæc nuperis diebus sese obtulit, cum sacris ipse Ordinibus initiatus oblationes ex veteri consuetudine Tibi vendicas, omnesque confidimus nihil esse propius, quàm publicis gravioribusque rebus ut admovearis. Visum propterea est Dissertatiunculam hanc Tibi dicare, muneri Tuo quo diligentissimè fungeris accomodatam. De Indulgentiis nempe ea est, quarum Congrega-

tio-

tioni jamdiù es a Secretis. Hanc reipsa Tibi dono, do, ac dico. Illud unum supereſt; ut gratum id Tibi acceptumque ſit, cæteris verò ne contemnenda videatur, ipſe pro ea qua es authoritate efficies; norunt quippe univerſi id minimè contemnendum eſſe quod ſapientiſſimus ac peritiſſimus rerum æſtimator minime contemnendum eſſe judicaverit. Vale.



AD

LECTOREM.

Iraberis fortaſſe, quòd ipſe intempeſtivè, ut cuiquam videri poſſit, Diſſertationem hanc de Indulgentiis typis edam. Verùm ſcito, voluiſſe me optimo Præſuli, cui omni officiorum genere ſum devinctus, publicum hoc obſervantiæ meæ teſtimonium præbere, & ſacræ ille Indulgentiarum Congregationi cum ſit a Secretis hanc de Indulgentiis tractationem non ingratam illi futuram exiſtimavi. Addas quamplura

me

me hisce temporibus legisse, quæ Indulgentiarum vim vel extenuant, vel tot tantisque difficultatibus eas afficiunt, ut ab iis lucrandis fidelium animos spe prorsus destitutos amoveant. Quare facturum me operæ pretium censui si in hac mea senectute huic malo pro viribus occurrerem, atque ex probatis receptisque Doctoribus tutum, ni fallar, ac planum iter ad eas lucrandas Fidelibus ostenderem. Huc etiam illud accedit nolle me, qui rebus moralibus Canonicisque publicè enodandis olim addictus, nuper rudem acceperim, nolle me, inquam, otiose vivere, sed quidquid superest Virium id totum in aliorum utilitatem, Deo dante, conferre. Hæc omnia si diligenter expenderis, mi Lector, nihil erit causæ, ut mireris, quinimò consi-

lium hoc meum æqui bonique facies, & ſi qua in re Tibi forte diſplicuero, id virium imbecillitati, non voluntati, pro tua benignitate adſcribes. Vale.



LAU-

LAURENTIUS RICCI

Præpositus Generalis Soc. JESU.

CUm Opusculum cui titulus : *De Requisitis, & non Requisitis ad lucrandas Indulgentias* : a P. Andrea Hieronymo Andreucci Societatis Jesu conscriptum ; aliquot Nostri ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet ita videbitur : Cujus rei gratia has literas manu nostra subscriptas, & Sigillo Officii nostri munitas dedimus. Romæ die 2. Julii 1759.

Laurentius Ricci.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. P.Mag. Sac.Pal. Apost.


F.M. De Rubeis Patr.Const.Vicesg.

DIssertationem Theologicam *de Requisitis & non Requisitis ad lucrandas Indulgentias*, mandatis obsequens Reverendissimi Patris Sac. Palat. Apostolici Magistri legi, & examinavi: hanc legere, & approbare idem est; nihil enim in ea non conforme sanæ doctrinæ, & probis moribus reperi, ac proinde dignam, quæ publicis cudatur formis; Ita censeo ex Collegio S. Mariæ de Victoria Urbis hac die 12. Julii 1759.

F. Aloysius Maria a Jesu Carm. Exc. S. Congregat. Indulgent. Consultor & S.R.Univer. Inquisit. Qualificator.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Reverendiss. P. M. Sac. Palatii Apost. Socius, Ord. Præd.



De Requisitis, et non Requisitis ad lucrandas Indulgentias

DISSERTATIO THEOLOGICA

§. I.

Præmittuntur quædam prænotanda.

PRænotandum est primò: Nomine Indulgentiæ, quæ conceditur tempore Jubilæi, & aliis temporibus, ex communi usu, & acceptione Ecclesiæ, non significari quamcumque remissionem, aut relaxationem Peccatorum; sed relaxationem dumtaxat

xat pœnæ temporalis, debitæ peccatis dimiſſis per modum *abſolutionis*, habentis annexam *ſolutionem* de theſauro Eccleſiæ, ut docet Bellar. cap. 5. undè ſic deſcribitur: *Indulgentia eſt remiſſio pœnæ temporalis pro actualibus peccatis debitæ, extra Sacramentum facta ex Theſauri Eccleſiaſtici diſpenſatione.* Ità deſumitur ex Extravaganti *Unigenitus* Clementis VI., & ex communi Theologorum ſententia, poſt S. Thomam, & S. Bonaventuram eximios Eccleſiæ Doctores.

Prænotandum eſt ſecundò: Talium Indulgentiarum, quas nuper deſcripſimus Originem, juxtà Bellarminum Lib. 1. cap. 3. non reperiri, niſi ad Evangelium, vel Apoſtolos aſcendamus, id quod eſt ex iis ſignis, ex quibus internoſcuntur Catholica Dogmata ab Hæreſibus. Probatur

tur, quia ut inquit citatus Venerabilis Cardinalis: *Nullus hactenus indicare potuit Authorem Indulgentiarum, neque locum, vel tempus, quo prædicari cœperunt: omnes enim, qui de Indulgentiis mentionem faciunt, loquuntur ut de re usitata, & recepta. Quare Martinus Kemnitius in 4. p. Exam. pag. 329. fatetur, Originem Indulgentiarum non satis luculenter in historiis notatam fuisse* &c. hactenus Bellarminus.

Prænotandum est tertiò: Catholicos omnes debere secundùm fidem confiteri, & asserere circà Indulgentias has tres veritates; (*juxtà Cardinalem Toletum in Summa lib. 6. cap.* **21.**:) Prima est, esse Thesaurum infinitum coalescentem ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum in Ecclesia. Ità enim determinatur in ci-

citata Extravaganti *Unigenitus* à Clemente VI. Secunda est, esse in Ecclesia Potestatem dispensandi Membris hunc Thesaurum; ita determinatur à Concilio Trident. sess. 25. Tertia est, esse utiles Indulgentias, & prodesse Fidelibus, qui convenienter eis utuntur. Ità determinatur in Concilio Lateranen., Viennen., Tridentin., ut notat citatus Toletus cit. lib. 6. Summæ cap. 21. en ipsissima Cardinalis Toleti verba: *Unde catholicus debet secundum fidem confiteri, & asserere has tres veritates: Prima est esse hunc Thesaurum infinitum satisfactionum Christi, & Sanctorum in Ecclesia. Ita determinatur in Extravaganti Unig. à Clem. VI. Secunda est; esse hanc potestatem in Ecclesia dispensandi Membris hunc Thesaurum. Hæc determinatur à Concilio Tridentino sess. 25. Tertia*

tia eſt, eſſe utiles Indulgentias, & prodeſſe Fidelibus, qui convenienter eis utuntur. Ita determinatur in Concilio Lateranenſi, Viennenſi &c.

Prænotandum eſt 4. quamvis plures diverſis temporibus circa Indulgentias ſubnaſcentes errores, ſeu falſas doctrinas Eccleſia repreſſerit, ac reſpectivè damnaverit, tam in Luthero, quam in Bajo, qui ajebat: *Per paſſiones Sanctorum in Indulgentiis comunicatas, non propriè redimuntur noſtra delicta, ſed per Comunionem Charitatis nobis eorum paſſiones impertiuntur ut digni ſimus, qui pretio Sanguinis Chriſti à pœnis pro peccatis debitis liberemur*. Ita propoſit. 60. quamvis inquam id factum ſit, non deſunt tamen ex Neotericis, qui nonnullas contra Indulgentias Propoſitiones ediderint, quas ne-

nemo ut arbitror admiserit. Tales videntur esse sequentes, videlicet: *Indulgentiæ tantum præcisè prosunt, quantum tu ex tua parte confers, & nihil plus valent, quam tuus labor, & tuus conatus sufficit judicio Dei.* Ita in terminis Joannes Bauduin. in Libello cui tit. Jugement &c. pag. 106.: *Qui post Baptismum mortaliter deliquerunt, non possunt ne quidem via Indulgentiarum assequi plenam remissionem penæ temporalis, quæ dimissa culpa luenda superest, nisi ipsis Indulgentiis adiunxerint ex parte sua magnos fletus, magnosque labores.* Ita cit. Auctor in eodem Libello pag. 105.

His prænotatis quædam de Requisitis, & non Requisitis ad lucrandas Indulgentias expendam, & sane quod attinet ad requisita paucis rem conficiam. Constat quip-

quippe inter Catholicos Doctores, quod, suppositа in Subjecto capacitate remota consistente in his tribus: scilicet, ut sit Homo ratione utens, Baptizatus, & aliquo modo subditus; supposita, inquam, hac capacitate, requiritur in Subjecto dispositio proxima, quæ alia est Habitualis, alia Actualis. Prior, ut docet Suarez disp. 52. de Indul. sect. 2. est habitus Gratiæ, vel Fidei; Nam, ut ipse ibidem ait, necessarius est status Fidei, per quam sit Homo conjunctus Ecclesiæ, tanquam membrum ejus, *quia* (sunt ejus verba) *Indulgentiarum participatio pertinet ad comunionem Sanctorum, quam non participant, nisi qui sunt membra Ecclesiæ: Membrum enim non participat influxum, & Comunionem aliorum membrorum, nisi debito modo corpori con-*

conjunctum sit: Prima autem unio membrorum Ecclesiæ fit per fidem: ergo hæc est quasi prima fundamentalis dispositio ad lucrandum effectum indulgentiæ. Hactenus Suarez, qui deinde supposita hac interna Fidei unione, & externæ Comunicationis, docet statum Gratiæ esse dispositionem cum Fide omninò necessariam ad proprium fructum, seu effectum indulgentiæ consequendum; qui est remissio temporalis pœnæ. Posterior dispositio *proxima*, dicitur *Actualis*, & est *Exequtio operis injuncti*. Cum igitur de his constet, neutiquam in his immorabor, sed de uno dumtaxat, vel altero, & ad summum tertio, quæ licet utilia, non videntur tamen necessariò requisita: paucis disseram.

* * *
* *

§. II.

Status, & Resolutio Quæstionis.

QUæritur utrum ad lucrandas Indulgentias præter ſtatum gratiæ, & executionem operum, quæ injunguntur requiratur Actus Charitatis perfectæ, & quidem eo major, ſeu magis intenſus, quò major, & plenior fuerit Indulgentia?

℞. Non defuiſſe ex Recentioribus, qui ſub quodam verborum involucro id affirmarint. Hinc memini me olìm legiſſe apud quoſdam Neotericos, in lucrandis Indulgentiis, fructum acquiri non tam pro executione operis injuncti, quam pro menſura Charitatis, qua illud fieri quis imperat. Ratio his videtur eſſe, quia *Deus non remunerat, niſi Charitatem; quoniam charitas*

sola Deum honorat, ut ipsi falsò contendunt juxta Proposit. 66. ex proscriptis a Clem. XI. siquidem Deus remunerat etiam actus Fidei, Spei, Misericordiæ, Justitiæ, Pœnitentiæ, & similes, & ab iisdem etiam honoratur. Hinc apparet, eos ad Indulgentiæ fructum requirere actum Charitatis, seu opus elicitum ex motivo, & impulsu Charitatis. Id, quod implicitè aliquando, & sub ambagibus insinuant; sunt enim Nonnulli, qui, ut ajebat S. Bernard. serm. 55. in Cantica: *Nocere, quam vincere malunt, & ne apparere quidem volunt, sed serpere.*

Verum non negaverim utile, ac Pium esse, ut suscepturus Indulgentias præter statum gratiæ, & executionem operis injuncti, ulterius se disponat per actus elicitos perfectæ charitatis, & quidem

dem eò major erit utilitas in ordine ad finem supernaturalem, quò magis intensi fuerint ejusmodi actus. At censeo ad lucrandas Indulgentias, quæ à Summis Pontificibus, aliisque conceduntur, supposito statu gratiæ, & supposita executione operum, quæ hic & nunc injunguntur, non requiri ex necessitate, ut illas suscepturus eliciat actus charitatis perfectæ, eò magis intensos, quò maior, & plenior fuerit Indulgentia.

Probo hoc primò: Nam ad lucrandas Indulgentias nulla alia dispositio *simpliciter*, & ex *natura* rei prærequiritur ex parte subjecti, nisi *status gratiæ*, quamvis *ex voluntate concedentis* prærequiratur aliquando, nempè, quando id in concessione exprimitur, etiam executio alicujus pii operis: quod non inficior

po-

poteſt eſſe *Actus Charitatis*, ut communiter docent Theologi cum Suarez de Indulg. diſp. 52. ſect. 4. Cum autem in conceſſione Indulgentiarum plerumque non exprimatur actus perfectæ charitatis eò magis intenſus, quò major, ac plenior fuerit Indulgentia; ſequitur talem actum, ſuppoſito ſtatu Gratiæ, neque ſimpliciter, & ex natura rei, neque ex voluntate concedentis, plerumque prærequiri in ſubjecto.

Deindè ut propius ad rem accedam, ſic ajo: vel ſermo eſt de Indulgentia plenaria in ſenſu improprio, ideſt, *de remiſſione culpæ, ac pœnæ æternæ*, ſimul & *temporalis*: vel ſermo eſt de Indulgentia plenaria in ſtricta, & propria acceptione Eccleſiæ, ideſt, de remiſſione pœnæ dumtaxat temporalis, debitæ peccatis actualibus jam dimiſſis per abſo-

ſolutionem, & ſolutionem ex theſauro Eccleſiæ?

Jam verò ſi primum: Fit ſaltus extra Chorum; non enim eſt hæc, Indulgentia illa, de qua loquuntur Theologi tractantes de Indulgentiis. Addo: etiam admiſſa ſignificatione Indulgentiæ in hoc ſenſu improprio; adhuc non eſt neceſſe, ut actus charitatis præcedat *tempore* ad illam lucrandam, & multò minus neceſſe eſt, ut præcedat eò intenſior, quò plenior eſt Indulgentia. *Non eſt neceſſe* illud primum, quia falſum eſt, & contrà ſanam doctrinam aſſerere, quod Charitas perfecta debeat præcedere *tempore* remiſſionem culpæ, & pœnæ æternæ in ſubiecto, habente actuale peccatum mortale: ſic enim fieret, ut Charitas perfecta coexiſteret ſimul eodem tempore cum pec-

cato mortali, id autem ſapit Propoſitionem num. 70. damnatam in Bajo, ubi ſic: *Homo exiſtens in peccato mortali, poteſt habere veram Charitatem*: Itèm *non eſt neceſſe* hoc alterum, nempe, quod Charitas eò ſit intenſior, quò plenior eſt Indulgentia; Nàm quælibet perfecta contritio, quælibet perfecta Charitas, dummodò verè talis ſit, remittit culpam, & pœnam æternam, etiamsi ea non fuerit intenſa proportionaliter ad gravitatem culpæ, unde ajebat S. Th. in 4. diſt. 17. q. 2. art. 5., quæſtiunc. 3.: *Dicendum, quod quantumcumque ſit parvus dolor, dummodò ad Contritionis rationem ſufficiat, omnem culpam delet*: Illud dumtaxat verum eſt, quod ad remiſſionem non ſolum culpæ, & pœnæ æternæ, ſed etiam ad remiſſionem totius culpæ temporalis

ex

ex opere operantis, & non ex vi solutionis liberalis factæ de thesauro Ecclesiæ, necesse est, ut charitas, seu perfecta contritio habeat proportionalem intensionem; unde ajebat Angelicus 3. p. qu. 36. art. 5. ad 1. sic: *Quandoque tanta commotione* (Deus) *convertit cor hominis, ut subitò perfectè consequatur sanitatem spiritualem, non solum remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquiis, ut patet de Magdalena Luc. 3.*: At hæc intensionis necessitas datur, quando remissio totius Pœnæ temporalis habenda est, ut dicebam, ex opere operantis, non autem quando habenda est ex vi liberalis solutionis de Thesauro Ecclesiæ, unde prosequendo distinctionem supra factam, insisto.

Si dicatur secundum, idest, si sermo fuerit de Indulgentia

in ſtricta, & propria acceptione Eccleſiæ, verum quidem eſt præ-requiri ad eam lucrandam ſtatum Gratiæ, & Charitatem habitualem, nàm alienum eſt à divina Providentia, & prudenti Gubernatione, remitti Reatum poenæ perſeverante culpa, uti docet S. Thomas in addit. 3. partis quæſtion. 27. art. 1., at falſum eſt, quod prærequiratur per ſe, & ex natura rei Charitas actualis magis, aut minus intenſa, quò major, vel minor fuerit Indulgentia. Ratiò eſt, quia juxtà communem Theologorum doctrinam ſuppoſita poteſtate in concedente, Proportione Cauſæ, & ſtatu Gratiæ in Subiecto nil aliud *per ſe* requiritur ad lucrandas Indulgentias, & ſolum per accidens *ex voluntate concedentis* requiritur Executio Operum, quæ ille per modum condi-

ditionis hic & nunc exigit: Atqui non ſemper ab eo exigitur per modum conditionis Actus Charitatis magis vel minus intenſus, quò major, vel minor concedatur Indulgentia; Ergo actus Charitatis &c. non eſt neque per ſe, neque ex voluntate concedentis ſemper neceſſarius ad lucrandas Indulgentias.

Ubi ſiſtas tantiſper Lector, & notes ab Neotericis nonnullis Authoribus. 1. Confundi, & perperàm accipi hoc vocabulum *Indulgentia*; paſſim enim illud uſurpant pro Remiſſione culpæ, & pœnæ æternæ, unde promiſcuè loquuntur de Indulgentia collata à Chriſto Magdalenæ, ac de Indulgentia, quæ confertur Fidelibus ab Eccleſia, cum cæteroquin conſtet apud Bellarminum lib. 1. de Indulg. cap. 7. per eiuſmodi Eccleſiaſticas In-

dulgentias Fideles nec absolvi, nec solvi à Reatu culpæ ullius, sive læthalis, sive venialis. II. Aliquando illud usurpari pro remissione illarum pœnarum quas vetus Ecclesiæ disciplina iniungere consueverat non ad satisfaciendum Deo, sed ad aliorum exemplum, & coercitionem, unde derivari crediderim, quod ipsi aiunt nempè Indulgentias non prodesse iis, qui non commiserunt peccata publica, siquidem ii subiecti non erant poenis canonicis. Hæc tamèn doctrina, quod Indulgentia consistat in Relaxatione talium pœnarum, (idest in absolutione ab obligatione pœnarum, quas Canones statuere) improbatur communiter à Theologis cum S. Thoma, qui in Supplem. q. 25. art. 1. ait: *Hæc opinio non videtur vera*: imò post S. Thom. ibidem addit Bellar-

larminus loc. cit. in tali acceptione, *non esset utilis, sed noxia Indulgentia, & Ecclesia Filios suos in re maximè gravi decipere videretur, liberaret enim eos à pœna huius vitæ mitissima, & remitteret ad pœnam atrocissimam Purgatorii*: Tandèm notes ex mala, seu non recta acceptione huius vocabuli *Indulgentia* derivari, quod Authores nonnulli ad lucrandam Indulgentiam, jam prærequirant Actum Charitatis perfectæ, & quidem magis, vel minus intensum, prout major, vel minor fuerit Indulgentia; jam prærequirant *magnos fletus, & labores, ità scilicet exigente Divina Justitia, ut illi integrè, ac plenariè satisfaciamus*, ut scilicet insinuetur de præcepto naturali ac divino esse, quod in hac vita jugi exterius satisfactioni exhibendæ insi-

ſtamus: Hoc autem præceptum naturale, ac divinum Theologi paſſim negant poſt remiſſionem culpæ, prout videre eſt apud S. Thom. in 3. partem diſp. 34. art. 8. & 9., & apud Suarez de Pœn. diſp. 15. ſect. 7. jam etiam doceant ab Eccleſia non cenſeri opportunum explicare quid ſit, & in quo conſiſtat *Utilitas Indulgentiarum*, nec ejuſmodi notitiam à Fidelibus curiosè inquirendam, ſed ſimpliciter credendum Indulgentias *utiles*, ac ſalubres eſſe: quod videtur idcircò doceri, quia utilitas remiſſionis pœnarum, per ſolutionem de thesauro Eccleſiæ, ab his Authoribus vel non agnoſcitur, vel ab aliis ut agnoſcatur ipſi nolint. Propterea illud menti continuò occurrat, ſermonem hìc eſſe de Indulgentia in propria, & formali Eccleſiæ ſignificatione acce-

ce-

cepta, ideſt, *de Relaxatione pœnæ temporalis, pro actualibus peccatis jam dimiſſis debitæ, extrà Sacramentum factæ, ex theſauri Eccleſiaſtici diſpenſatione*: prout habet Bellarminus.

Dices ut Adverſariis ſuppetias feras. 1. ſive Indulgentia accipiatur pro relaxatione peccatorum *quoad culpam*, ſive pro Relaxatione peccatorum *quoad pœnam*, ſemper ſtat, quod eò major Indulgentia acquiratur, quò maior fuerit in Subiecto Charitas; nam Lucæ 7. dicitur de Magdalena indiſtinctè de Remiſſione culpæ, ac Remiſſione pœnæ: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: ergo quò maior fuerit Charitas, eò maior acquiritur Indulgentia, ſivè ea fuerit Remiſſio culpæ, ſive fuerit Remiſſio pœnæ.

℟. Indulgentiam datam a

 Chri-

Christo Domino Magdalenæ fuisse quoad culpam, & pœnam *ex opere operantis*, seu ex perfecta illius contritione, quæ licet ad effectum justificandi non petat perfectionem ex certo intensionis gradu, sed ex Charitate, qua Deus propter se diligitur; tamen ad effectum tollendi omnes pœnas temporales, & reliquias peccatorum, exigit gradum quemdam intensionis, ut suprà vidimus doceri à S. Thoma 3. p. qu. 86. art. 5. ad 1.; nobis autem hic sermo est de Indulgentia quoad pœnam *ex thesauri Ecclesiastici dispensatione* facta per Prælatos Ecclesiæ, qui non exigunt regulariter, supposito statu gratiæ in Subjecto, aut actum Charitatis, aut ejus intensionem tanquam conditionem pro majori, vel minore dispensanda Indulgentia; unde non valet illatio

ab

ab Indulgentia Magdalenæ data à Christo Domino ad eam, quæ conceditur per Prælatos Ecclesiæ.

Dices. 2. Qui peragit opera injuncta a Prælatis Ecclesiæ perfectiori modo, acquirit majorem, vel minorem Indulgentiam, prout magis, vel minus perfectus fuerit ille modus, sed sic est, quod qui peragit opera injuncta ex motivo charitatis, is peragit ea opera perfectiori modo, & quidem eò magis perfecto, quò fuerit intensior charitas; ergo qui elicit magis vel minus intensum actum Charitatis, acquirit majorem, vel minorem Indulgentiam.

℟. Qui in statu Gratiæ peragit opera injuncta pefectiori modo, utique sibi acquirit majus meritum *ex opere operantis*; *at ex dispensatione thesauri Ecclesiastici*, non acquirit majorem Indulgentiam, seu majorem re-

laxationem pœnæ temporalis; nam Prælati Ecclesiastici cum ex thesauro Ecclesiæ dispensant id non peragunt juxtà leges distributivæ Justitiæ, sed juxta leges liberalis cujusdam donationis prudenter factæ. *Ex Suarez de Indulg. disp.* 52. *sect.* 8. Hinc ajebat S. Thomas apud eumdem Suarez: *Quod ille, qui* (ad visitandam Ecclesiam) *est vicinus Ecclesiæ, & etiam Sacerdotes & Clerici, consequuntur tantam Indulgentiam sicut illi, qui venirent a mille Dietis, quia remissio non proportionatur labori, sed meritis, quæ dispensantur*: Consequenter &c.

Alterum nunc quæri potest; an scilicet præter gratiam, & opus injunctum requiratur ex parte Recipientis Indulgentiam Propositum, seu Sollicitudo quædam ad satisfaciendum per propria

pria Opera pro peccatis suis?

℟. Utile quidem esse & opportunum, ad incrementum meriti existenti in statu Gratiæ, ut habeat quando suscepturus est Indulgentiam, propositum satisfaciendi quoad fieri poterit *de propriis laboribus*, & re ipsa det operam ut satisfaciat; non tamen id est absolute necessarium ad lucrandas Indulgentias, nam licet hoc olim docuerint post Cajetanum, Fumus, Navarrus, aliique perpauci, (quamvis enim Eusebius Amort p. 2. sect. 4. §. 189. citet 70. fermè Auctores stantes pro Sententia Cajetani, si tamen diligentiùs eos legeris, immane quantum hic numerus decrescet) licet inquam id nonnulli docuerint probabilius nihilominus est quod docet Bellarminus lib. 1. cap. 13. de Indulgentiis, id non esse necessarium ad lucrandas Indul-

dulgentias, cum id non ſit ex *operibus* injunctis, nec aliundè ejus neceſſitas probetur, id quod confirmatur ex auctoritate Angelici Doctoris Quodlib. 2. art. ult. ibi: *Dicitur omnibus verè Pœnitentibus, non dicitur & ſatisfacientibus*, quia Indulgentia non excuſat à Contritione, & Confeſſione, ſed cedit in locum ſatisfactionis. Poſt S. Thomam hanc conditionem reiciunt cæteri fermè omnes Doctores tum Theologi, tum Canoniſtæ, ut videre eſt apud Suarez diſp. 52. ſect. 11. à num. 2. & apud Caldarinum in Cap. *Noſtro poſtulaſti* de Pœnit. & Remiſs. neque obinde cenſenda eſt Eccleſia noſtram fovere negligentiam, ſed juvat Eccleſia Fidelium fragilitatem, quod ſi ipſi inde ſumant occaſionem remiſſius agendi, id eſt accidentarium incomodum, cui aliis

aliis mediis occurrendum, & obviandum est. Nec refert, quod juxta L. *Bona Fides* ff. de deposito: Indignus sit aliena ope, qui sibi non vult opitulari cum possit: Etenim ad hoc juris pronunciatum dicimus multa etiam indignis *negative*, idest non dignis conferri beneficia, si fuerint indigentes. Quare &c. imò ait citatus Bellarminus loc. cit. se non videre quemadmodum Romani Pontifices non deciperent Populos, si indulgentiam ea conditione proponere vellent, quam nunquam explicarent. Accedit quod in verè Pœnitentibus ut talibus, quibus Indulgentiæ concedi solent, requiritur Propositum satisfaciendi *non absolutè*, *sed conditionatè*; videlicet, *nisi aliundè ipsis satisfiat*. Ut docet ibidem Bellarminus; cum autem Ecclesia de thesauro inhe-

xau-

xausto coalescente ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum pro eis Deo satisfaciat, erogando, seu exhibendo Deo illas satisfactiones pro poenis temporalibus eis debitis sequitur quod verè sint Poenitentes, etiamsi non habeant propositum satisfaciendi de laboribus, ac poenalitatibus propriis, *dummodò tamen habeant Propositum exequendi Poenitentias iniunctas à Confessario*, quarum executio necessaria videtur etiam suscepturo indulgentias, tum ob integritatem Sacramenti, tum alias ob causas.

Postremò quæri potest tertio, an in Recipiente Indulgentias requirantur magni fletus, & labores, ut Recentiores nonnulli affirmare non dubitarunt.

℟. Utiles quidem esse etiam istos, sed nequaquam necessarios in Recipiente ad effectum Indulgen-

gen-

gentiarum; nam S. Thom. Quodlibet 2. art. ultimo. Ex parte Recipientis nihil aliud requirit, nisi statum gratiæ, & quod opus injunctum impleat. Et animadvertit in forma Indulgentiæ sæpè dici *Pœnitentibus*, & *Confessis*, nunquam vero dici: Et *satisfacientibus*, intelligas, sive per *magnos fletus*, sive per *magnos labores*, quia Indulgentia conceditur loco satisfactionis.

Nihili vero faciendum est pronuntiatum illud, videlicet, *rigorem in satisfactione injungenda, vel suscipienda voluntariè, ac spontaneè per magnos fletus, ac labores, fuisse olim, atque adeò hactenus esse spiritum proprium Ecclesiæ*; Nam vel sermo est de spiritu Ecclesiæ, quo ipsa & antiquitus, & de præsenti docet, de consilio esse ob multiplicem utilitatem, ut suscipiantur à Fide-

delibus magni labores, & voluntariæ corporis afflictationes, ad effectum ſatisfaciendi integrè Divinæ Juſtitiæ pro pœnis temporalibus, quæ reſtant luendæ poſt dimiſſam culpam? Et ſic *Verum* dicitur; vel ſermo eſt de ſpiritu Eccleſiæ, quo ipſa de facto exigat, & olim exegerit à Fidelibus magnos fletus, & magnos labores, tanquam *de præcepto*, ut vel illis abſolutio in foro Sacramentali impertiretur, vel ab illis extra Sacramentum remiſſio culpæ impetraretur? & ſic falſum dicitur, ac legentibus imponitur; nam ſpiritus Eccleſiæ tam veteris, quam novæ, nullus alius fuit, atque eſt; quam in foro Sacramentali ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere; extra verò forum Sacramentale voluntarias, ac ſponte ſuſceptas ſatisfactiones plurimi facere,
eaſ-

easque docere, non quidem esse in præcepto, sed tantum esse securiorem viam, & necessariam non simpliciter, sed ad perfectam animæ liberationem, seu puritatem, nisi aliundè de Thesauro Ecclesiæ provideatur. Unde spiritus Ecclesiæ non apparet esse spiritus rigoris, sed prudentiæ, & charitatis.

Demùm etiamsi admitteretur, quod non raro, (ut vult Morinus) ab veteri Ecclesia graves, & multiplices satisfactiones exigerentur in foro Sacramentali, & extra illud non facile, nec frequenter quicquam dispensaretur de Thesauro Ecclesiæ; nihilominus illud obversari nobis debet, quod olim in suis Litteris Encyclicis tradebat de anno 1692. Illustrissimus Mechliniensis Archiepiscopus, videlicet: *Fideles omnes Ecclesiæ matris suæ con-*

sue-

suetudinem, & praxim teneant, longo sæculorum usu probatam, neque supra suam se magistram erigant, aut ejus Indulgentiam ausu temerario corripiant: hactenus citatus Archiepiscopus, benè, & compositè.

§. III.

Illationes quædam proponuntur.

EX hactenus dictis inferes. I. non esse verum, quod nonnulli scripsere: *Indulgentias in tantum nobis prodesse, in quantum per Sanctorum Communionem ità nos Christi, & Sanctorum satisfactiones juvant, ut intuitu illarum, Dei misericordia, & infinita Bonitas nostri misereatur, ac pœnas, quas debemus relaxet*: Ratio est, quia ejusmodi doctrina vel eadem est, vel certè

af-

affinitatem habet, cum ea Baji damnata Propositione num. 60. nimirum: *Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas, non propriè redimuntur nostra delicta, sed per communionem Charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur*. Deindè hæc eadem doctrina non videtur agnoscere nec Thesaurum in Ecclesia ex superfluentibus Sanctorum satisfactionibus, nec Potestatem in Prælatis Ecclesiæ ad eas satisfactiones dispensandas, nec utilitatem in modo dispensandi per absolutionem, & solutionem relatè ad viventes ut expientur à pœnis temporalibus,& *per solutionem* dumtaxat relatè ad defunctos, prout communiter receptum est in Ecclesia apud Theologos.

In-

Inferes secundo non esse de necessitate absoluta Indulgentiæ, ut exigatur aliquod pium opus ad effectum ejus obtinendum; itaut non possit Pontifex alio modo Indulgentiam concedere; nam licet non defuerint ex Eruditis, qui id affirmarint, ducti ex usu Ecclesiæ, nunquam enim vidimus, aut legimus, Pontifices alio modo concessisse Indulgentias: Nihilominus comuniter Theologi apud Suarez disput.52. sect.3. ajunt, non esse simpliciter, & absolutè de necessitate Indulgentiæ, ut concedatur sub conditione alicujus Operis faciendi ad effectum Indulgentiæ consequendum. Probant hoc ex generali Dogmate a Theologis recepto, tria esse necessaria, ac sufficere ad valorem, & fructum Indulgentiæ, scilicet Potestatem in Concedente, Gratiam in Recipien-

piente, & Pietatem, seu proportionem in Causa; sed hæc tria possunt perfectè concurrere absque novo opere, quod exigatur ab eo, cui Indulgentia conceditur: ergo &c.

Neque dicas, non dari in tali hypothesi proportionem in Causa, etenim, ut bene notat Suarez, proportio sufficiens multiplex esse potest, sive ex gratitudine, sive ex charitate, ut quis: v. g. excitetur ad serviendum Deo ferventiùs &c.

Neque obstat, id nunquam a Pontificibus factum esse; nam a negatione actus non valet ad negationem potentiæ. Vid. Card. De Lugo disp. 27. de Pœn. n. 86.

Reliquum proinde est, ut illud apud nos firmum ratumque sit, quod suprà jam diximus, videlicet, ad valorem & fructum Indulgentiæ per se, & ex natura

Rei

Rei hæc dumtaxat requiri. 1. Poteſtatem in concedente, 2. Proportionem cauſæ, & 3. Statum Gratiæ in ſuſcipiente: Per accidens verò & ex voluntate concedentis requiri ulterius executionem operum, quæ pro conditione fuerint ab eodem iniuncta. Hinc habes nunquam poſſe nos eſſe omninò certos de acquiſitione Indulgentiæ, cum ex una parte acquiſitio cuiuslibet Indulgentiæ pendeat è ſtatu Gratiæ ſanctificantis, ex altera verò parte nemo ſciat, utrum *amore*, *an odio dignus ſit*; Præterea in aliquibus Indulgentiis tot conditiones, ac *taliter* à concedente requiruntur, ut licet poſſimus ſcire eas à nobis fuiſſe materialiter completas, ignoramus tamèn utrum formaliter completæ fuerint, & cum ea honeſtate, quam Deus, & eius Vicarius, vel aliùs con-

concedens hic & nunc requirit. Ob quam rem ab eo, qui voluerit sibi in hac vita consulere, & pœnas temporales sibi debitas integrè in vita expiare, Fœnitentia exterior nunquam est omninò excludenda. In quo convenimus cum Authoribus nonnullis Neotericis.

Dixi nunquam nos esse omninò certos certitudine, videlicet, infallibilitatis de acquisita Indulgentia, quandoquidem nunquam sine speciali revelatione, simus ita certi de Statu Gratiæ, qui ad eam acquirendam est ex natura rei necessarius, at non proptereà inde sequitur omittendum à nobis esse, Studium acquirendæ Indulgentiæ, etenim in primis tanta est ejus utilitas, ut spes ipsa de lucranda Indulgentia incitamento nobis esse debeat, ad dandam operam, ut eam lu-

cremur : deinde tales poſſunt concurrere circumſtantiæ, tales poſſunt eſſe adhibitæ diligentiæ tum in procurando Statu Gratiæ, tum in exequendis Operibus injunctis, ut quamvis poſſibile, aliàs ſit, nos non conſequtos eſſe Indulgentiam, tamen practicè loquendo, non niſi temerè poſſimus de Indulgentiæ conſequtione timere aut ſuſpicari, quoniam ſola poſſibilitas de contrario, non eſt rationabile fundamentum ad timendum, aut ſuſpicandum, uti obſervant Animaſtici; ideoque poteſt fieri, ut ſimus certi moraliter de conſequtione Indulgentiæ, ea videlicet certitudine, quæ ſola dari poteſt in hac Providentia, quaque nos contenti eſſe debemus, ut ad Indulgentiam lucrandam incitemur.

Probè rem hanc intellexerat San-

Sanctus Patriarcha Ignatius de Loyola, qui tanti faciebat studium lucrandi Indulgentias, ut in suo aureo Exercitiorum libello, à Sede Apostolica approbato, testatum reliquerit: Peccare non leviter illum, qui ubi Romanus Pontifex, vel alius Ecclesiasticus Prælatus, propositis Indulgentiis, ad pia quædam opera in communi necessitate Fideles cohortati fuerint, pias eas Rectorum Ecclesiæ cohortationes aspernari audeat, ac transgredi. Quæ quidem verba *aspernari, ac transgredi*, si conjunctim accipiantur, inquit Suarez de Relig. tom. 4. lib. 9. nullam habent difficultatem, patet siquidem non leve esse peccatum ex contemptu id totum negligere, etiamsi contemptus fuerit dumtaxat practicus, quia continet quamdam veluti injuriam rerum sacrarum, & in-

dicat animum a spiritualibus valdè alienum. Si verò separatim consideretur illud verbum *transgredi*, adhuc assertio S. Patriarchæ subsistit, tum quia talis transgressio, seu neglectus lucrandi data ea occasione Indulgentias, est quasi prodigalitas quædam spiritualium bonorum, tum quia moraliter loquendo, si homo sciens, & volens, ac directa voluntate id omittat, vix fiet sine aliqua culpa, tum quia homo est nimis negligens in subveniendo spiritualiter, communi bono, propter quod hic, & nunc tales gratiæ conceduntur, tum demum, quia moraliter loquendo vix fiet sine aliquo scandalo. Illud autem *non leviter* intelligi debet non de peccato mortali, sed de gravi, & non contemnendo veniali. Hactenus Suarez. Abigendus propterea est torpor om-

omnis; & negligentia circa acquirendas Indulgentias.

Hæc olim differebam coram Sacerdotum cœtu, in Congregatione Casuum, quam dirigebam in Domo Professorum Romana, subjiciens universa ut par est, judicio, & correctioni S. R. E. cui addictissimum me volo, ac profiteor.

APPENDIX.

CUm fermè fiat, ut Fidelibus nonnulla suboriantur Dubia circa ea quæ sunt certò Requisita ad lucrandas Indulgentias, videlicet, An sufficiat Status Gratiæ ad fructum Indulgentiæ, quin requiratur Sacramentalis Confessio in eo qui non habet conscientiam peccati mortalis quando Indulgentia conceditur *omnibus verè Pœnitentibus*,

& confessis &c. qui Ecclesiam visitaverint &c. in quibus discrepabant olim Theologi asserentibus aliis, aliis verò probabilius negantibus; nunc autem lis omnis dirempta est per Decretum novissimè editum à Sacra Indulgentiarum Congregatione; Placet propterea per extensum hoc exhibere. Ecce illud.

DECRETUM

Sacræ Congregationis Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositæ.

UT Christifideles scire possint quid sibi tenendum foret pro acquirendis Indulgentiis in Sententiarum varietate super intelligentia verborum: *qui verè pœnitentes, Confessi, ac Sacra Communione refecti Ecclesiam vi-*

visitaverint: quæ in Indulgentiarum Brevibus inferi solent, in Sac a Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis Præposita discussis *die* 31. *Martii proximi præteriti* nonnullis dubiis, eadem Sacra Congregatio fuit in Voto, Confessionem Sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiarum consecutione, peragi omninò debere etiam ab iis, qui sibi læthalis peccati conscii non sunt; nec non præfatam confessionem suffragari etiam posse, si expleatur in vigilia Festivitatis. Quod autem ad Ecclesiæ visitationem spectat, eam impleri posse, sive, ante, sive post aliorum piorum Operum implementum.

Factique de iis per me infrascriptum ejusdem Sacræ Congregationis Secretarium relatione SSmo Dño Nostro; Sanctitas Sua

Sua ejusdem Sacræ Congregationis Votum benignè approbavit; illudque publicari mandavit, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Datum die 19. Maii 1759.

Fr. J. Card. Portocarrera
Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

A. E. Vicecomes Sac. Congreg.
Indulgentiarum Secretarius.

Solent etiam nonnulli dubitare, an Actus Charitatis sit aliquando opus injunctum pro lucranda Indulgentia, ideoque an sit aliquando dispositio actualis necessariò requisita ad Indulgentiam?

℟. Diligentia ac Religione piissimi Secretarii factum esse, ut

ut fæl. recordationis Benedictus XIV. Indulgentias quasdam concesserit iis Fidelibus, qui Actus Virtutum Theologalium Fidei, Spei, & Charitatis elicuerint, ac per consequens Actus elicitus Charitatis est quandoque actualis dispositio requisita ad lucrandam certam quamdam Indulgentiam. Do ipsum Sanctissimi Domini Benedicti XIV. Decretum.

INDULGENTIÆ

Concessæ pie, devote, & ex corde recitantibus Actus Virtutum Theologicarum Fidei, Spei, & Charitatis.

ANimadvertens SS. D. N. Benedictus PP. XIV., quam utiles, quinimò necessarii sint ad æternam salutem Theologi-

gicarum virtutum Actus, Fidei videlicet, Spei, & Charitatis, ut omnes utriusque sexus Christifideles ad illorum exercitium excitaret, audito voto Sacræ Congregationis Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositæ, Indulgentias pro iisdem Actibus a san. mem. Benedicto XIII. die 15. Januarii anni 1728. concessas, benignè confirmavit, Plenariam nimirum cum facultate eam Fidelium defunctorum Animabus applicandi, semel in mense lucrandam ab iis, qui quotidiè per mensem præfatos Actus piè, devotè, & ex corde peregerint, die nempè ab unoquoque eligenda, in qua verè penitentes, Confessi, ac Sacra Communione refecti, pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione,

ut

ut decet, oraverint: nec non aliam ſimiliter Plenariam in mortis articulo. Ut autem commiſſas ſibi Oves ad frequentiorem hujuſmodi Actuum uſum alliceret Sanctitas Sua, Indulgentiam ſeptem annorum, totidemque quadragenarum, cum eadem applicationis facultate, quæ juxta ejuſdem ſui Prædeceſſoris conceſſionem, ſemel tantum in die conſequi poterat, ad quamlibet antedictorum Actuum piam &c. ut ſupra recitationem, clementer extendit.

Declaravit inſuper Sanctitas Sua, præfatas omnes Indulgentias addictas minimè eſſe certis, determinatiſque verbis, propterea què unumquemque uti poſſe in recitatione dictorum Actuum qualibet formula, dummodo in ea ſingularum Virtutum Theologicarum ſpecialia motiva expriman-

mantur. Datum die xxviii. Januarii Anno MDCCLVI.

Fr. J. Card. Portocarrero Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

A. E. Vicecomes Sac. Congr. Indulg. Secret.

FINIS.

APPENDIX ALTERA

Ad Dissertationem hanc de Requisitis, & non Requisitis pro Lucrandis Indulgentiis. Ex Institutione 53. fel. rec. Benedicti PP. XIV.



Ias inter, atque eruditas Institutiones, quas in Archiepiscopatu Bononiensi olim a se habitas fel. rec. Benedictus PP. XIV. latinè reddi, & typis mandari voluit, ut omnibus nempe prodessent, quæ pro particulari Ecclesia fuerant conscripta; has inquam inter Institutiones ea quam maximè ad rem nostram facit, quæ extat in ordine editionis secundæ num. 53., ubi sapientissimus Pontifex postquam occasione Junius Jubilæi monuit Gregem sibi commissum de statu gratiæ,

& de executione operum, quæ injungebantur pro lucrando eo Jubilæo, hæc deinde universim habet de Indulgentiis ibi „ Hæc de „ injunctis operibus monenda „ putavimus. Nunc superest, ut „ Populo nobis commisso in me- „ moriam adducamus Pœniten- „ tiæ Sacramento crimina qui- „ dem, pœnasque æternas con- „ donari, sed luendas adhuc tem- „ porarias plerumque superesse: „ Quare cum *perpauci suis cri-* „ *minibus satisfacere piis operi-* „ *bus contendant*, Clementissi- „ mus Redemptor noster ob sin- „ gularem in nos charitatem, „ hominum calamitati prospexit, „ & opulentissimum in Ecclesia „ thesaurum suorum meritorum „ reliquit, quæ per mortem, „ cruciatusque suos congessit; „ præclara etiam merita B. M. „ Virginis, Sanctorum Aposto-

„ lo-

„ lorum, Martyrum, aliorum-
„ que Cælitum Ecclesiæ largitus
„ est, quibus divitiis spirituali-
„ bus distribuendis Apostolorum
„ Principem S. Petrum, Roma-
„ nosque Pontifices in ejus lo-
„ cum sufficiendos præposuit. Il-
„ los enim sui Vicarios in terris
„ constituit, & Claves Regni
„ Cælorum, plenamque ligandi,
„ atque solvendi potestatem eis-
„ dem concessit.

„ Id Clemens VI. his verbis
„ apertè declaravit: *Quem qui-*
„ *dem thesaurum, non in suda-*
„ *rio repositum, non in agro ab-*
„ *sconditum* (de merito Passio-
„ nis Christi infinito res agitur)
„ *sed per Beatum Petrum Cæli*
„ *clavigerum, ejusque successo-*
„ *res suos in terris Vicarios com-*
„ *misit Fidelibus salubriter di-*
„ *spensandum &c. ad cujus qui-*
„ *dem thesauri cumulum Beatæ*

 „ *Ge-*

„ *Genetricis*, *& omnium Electo-*
„ *rum a primo Justo*, *usque ad*
„ *ultimum merita adminiculum*
„ *præstare noscuntur*. Insuper
„ S. Thomas, & S. Bonaventura
„ sapientia, ac sanctitate claris-
„ simi, licet in variis opinioni-
„ bus dissimiles, eamdem rem
„ confirmarunt, centum annis
„ prius quam Clemens VI. suam
„ decretalem conficeret, quod
„ Card. Pallavicinus, & Doctor
„ Estius sapienter advertunt.

„ Hac divina facultate præditi
„ Pontifices hunc thesaurum sæ-
„ pius recludunt, & *legitimis ad-*
„ *ducti causis*, *variis temporibus*
„ *nunc limitatam*, *nunc plenissi-*
„ *mam pœnarum omnium remis-*
„ *sionem impertiunt*, *quas in hac*
„ *vita*, *vel in Purgatorio* ob sce-
„ lera nostra luere debemus. Olim
„ non adeò liberales Pontifices
„ extiterunt, uti S. Thomas testa-

„ tur,

„ tur, qui tradit Indulgentiam
„ quinque annorum tribui illis
„ consuevisse, qui trans mare
„ positi ad invisenda SS. Petri, &
„ Pauli templa se conferebant,
„ trium annorum Indulgentiam
„ illis, qui ob eamdem causam
„ ultrà montes degentes ad Ur-
„ bem profecti essent; unius ve-
„ rò anni Indulgentiam iis, qui
„ ex vicinioribus Provinciis hoc
„ iter susciperent. Cum tamen
„ hoc tempore ob gravissimas ra-
„ tiones pœnæ à *Canonibus præ-*
„ *scriptæ rursùs induci nequeant*
„ majori liberalitate Pontifices
„ utantur, ut Fideles impensiùs
„ ad Deum confugiant, cum ne-
„ cessitas postulat, ut cultus Deo
„ præstetur, & animarum saluti
„ feliciùs provideatur: Respon-
„ demus (ait Bellarminus) *the-*
„ *saurum meritorum Christi, &*
„ *Sanctorum esse veram causam,*

„ *cur Indulgentiæ concedi possint,*
„ *sed præter istam causam re-*
„ *quiri aliam, quæ moveat ad*
„ *dispensandum thesaurum hoc*
„ *tempore potiùs, quam alio, &*
„ *nunc magis, nunc minus libe-*
„ *raliter:* Non *enim debent* Pon-
„ *tifices relaxare pœnitentialem*
„ *satisfactionem, neque recur-*
„ *rere ad thesaurum, nisi quan-*
„ *do judicant id esse necessarium,*
„ *& utile ad gloriam Dei, &*
„ *Animarum salutem.*

„ Hujus liberalitatis causas ex-
„ pendere prætermittimus, at-
„ que utrum æqualitas quædam
„ inter opus injunctum & Indul-
„ gentiam intercedat: *observan-*
„ *dum est* (prosequitur Bellar-
„ minus) *justam quidem causam*
„ *semper requiri, sed non est*
„ *subditorum judicare, utrum*
„ *causa sit justa, vel injusta, de-*
„ *bent enim simpliciter existima-*
„ *re*

„ *re justam esse*. Ad nos perti-
„ net summas Deo gratias exol-
„ vere, qui his temporibus ver-
„ samur, quibus hic cælestis the-
„ saurus frequenter, ac libera-
„ lissimè patet. Ad nos etiam
„ spectat omnem curam impen-
„ dere, ut his spiritualibus di-
„ vitiis cumulemur, ea *diligen-*
„ *ter fructuoseque opera perficien-*
„ *tes, quæ decernuntur*, * quæ si
„ negligenter suscepta fuerint,
„ thesaurum Indulgentiæ ne-
„ quidquam expetimur. S. Pon-
„ tifex Gregorius VII. Remigio

* „ N. B. Vult hæc Institutio opera
„ injuncta non fieri negligenter, scilicet,
„ vel cum non cura rectitudinis talium
„ operum, vel cum neglectu aliorum si-
„ milium operum, sequitur enim ipsa
„ Bellarmini, aliorumque opinionem
„ exigentium opera injuncta ad placa-
„ tionem, vel satisfactionem oportere
„ esse non vitiata a circumstantiis, ut con-
„ ferant ad fructum Indulgentiæ perci-
„ piendum.

„ Episcopo Indulgentiam largi-
„ tus fuit: *Absolutionem pecca-*
„ *torum tuorum*, *ficut rogasti*
„ *auctoritate Principis Apostolo-*
„ *rum fulti*, *tibi mittere dignum*
„ *duximus*, *si tamen bonis operi-*
„ *bus inhærendo*, *commissos ex-*
„ *cessus plangendo quantum va-*
„ *lueris*, *corporis tui habitacu-*
„ *lum*, *Deo mundum Templum*
„ *exhibueris*. Cardinalis autem
„ Baronius postquam eam senten-
„ tiam exposuit *ut appareat*, *in-*
„ *quit*, *Sedis Apostolicæ Indul-*
„ *gentias illis communicari*, *qui*
„ *quantum suppetunt vires*, *bene*
„ *operari non prætermittunt*, *non*
„ *autem ignavis otiosis*, *ac tepe-*
„ *scentibus*. Cardinalis Cajeta-
„ nus ad obtinendam Indulgen-
„ tiam censuit non modo præ-
„ scriptis operibus satisfacien-
„ dum, sed etiam necessario de-
„ liberandum, salutari Pœni-
„ ten-

„ tentia criminum labes peculiariter expiare, id qui facere „ contemnat cum possit, nullum „ ex Indulgentia fructum percipere, Cardinalem Cajetanum, „ Navarrus quoque sequitur, licet alii plures, *& nos quoque*, „ *quibus opinionum novitas displicet*, illam pariter omittamus, „ nullum quippè diploma Pontificium pro concedendis Indulgentiis unquam vidimus, in „ quo ea singularis conditio præferatur. Singulis tamen Cardinalis Bellarmini doctrinam proponendam ducimus. *Accipiunt* „ *prudentes Christiani Indulgentias*, *ut simul etiam studeant* „ *dignos Pœnitentiæ fructus facere.* Illam Cardinalis Pallavicinus, cum de usu Indulgentiarum sermonem habet, his verbis explicat: *Neque sanè Fideles Indulgentiarum causa ne-*

„ *gli-*

„ *gligentes fiunt*, *ut pro expur-*
„ *gandis criminibus, alia pietatis*
„ *opera Deo minimè persolvant.*
„ *Cum enim ancipites sint utrum*
„ *reipsa Indulgentiam sibi merue-*
„ *rint*, *stimulo quodam incitan-*
„ *tur*, *ut pro cælesti hoc Thesau-*
„ *ro TUTIUS comparando varias*
„ *salutaris pœnitentiæ rationes*
„ *aggrediantur*; *ex alia parte*
„ *injuncta pietatis opera si fiant*,
„ *studium Religionis adaugent &*
„ *quamdam facilitatem indu-*
„ *cunt*, *ut illis similia suscipian-*
„ *tur*, *quod fermè quotidiana*
„ *experientia comprobatur* „ *Ha-*
„ *ctenus Institutio Benedicti XIV.*

Placet huic annectere id quod Cardinalis Bellarminus docet circa causam omninò requisitam ad valorem Indulgentiæ suo lib. 1. de Indulg. cap. 12. ibi „ obser-
„ vandum est quarto supra di-
„ ctum esse plerumque in causa
„ ju-

„ justa duo contineri, *Finem*, *&*
„ *media ad finem*, quoniam ali-
„ quando solus finis satis esse vi-
„ detur sine ullis mediis, id est si-
„ ne aliquo opere injuncto, quan-
„ do videlicet Finis non pendet
„ ab aliquo opere & per se suffi-
„ cit ad indulgentiam justam
„ perficiendam. Sic olim ad pe-
„ titionem Martyrum, ut supra
„ ex Tertulliano, & Cypriano
„ probavimus, dabantur Indul-
„ gentiæ sine aliquo opere in-
„ juncto, quia judicabat Eccle-
„ sia satis magnam causam esse
„ petitionem Martyrum, ut vi-
„ delicet homines ad martyrium
„ accenderentur, cum viderent
„ tanti fieri Martyrum preces.
„ Vocantur autem in his locis
„ Martyres, qui in carceribus
„ inclusi, & jam aliquid passi
„ fuerant ob confessionem Fi-
„ dei, & consumationem Mar-

„ ty-

„ tyrii expectabant; Quomodo
„ etiam in articulo mortis ho-
„ minibus benemeritis de Eccle-
„ ſia dantur aliquando Indul-
„ gentiæ, neque opus ullum in-
„ jungitur, quia videtur cauſa
„ eſſe ſatis juſta ipſa neceſſitas
„ extrema conjuncta cum præce-
„ dentibus meritis. Ita legitur
„ Gregorius VII. Indulgentias
„ ſine ullo injuncto opere dediſ-
„ ſe Lib. 1. Epiſt. 34., Lib. 2.
„ Epiſt. 61. & Lib. 6. Epiſt. 15.
„ Itaque ſine opere injuncto con-
„ cedi poteſt aliquando Indul-
„ gentia, ſine cauſa vero eaque
„ juſta, & rationabili nunquam
„ poteſt „ hæc Bellarminus, qui
relata ſententia Card. Cajetani
cap. immediatè ſequenti ſubdit ſe
nullum legiſſe Authorem, qui Ca-
jetanum ſequatur præter Bartho-
lomeum Fumum &c.; nec mirum
cum teſte Suarez novam eſſe ſuam
opi-

opinionem Cajetanus ipse testetur.

Ex his intelligenti pronum est colligere primò non requiri in subjecto per se, & ex necessitate sollicitudinem, ac propositum satisfaciendi Deo in hac vita satisfactione punitiva ad effectum lucrandi quascunque Indulgentias, ut volebat Cajetanus, nec requiri ad lucrandam plenariam Indulgentiam sollicitudinem, ac propositum, non quodcunque, *sed serium*, *& efficax* satisfaciendi, ita ut de facto & in actu secundo ea satisfactio præstetur a suscepturo Indulgentiam, quæ spectata uniuscujusque conditione, ac debilitate non est moraliter impossibilis, nec nimis ardua, ut volebat Eusebius Amort, & magis arctè videtur nunc velle nescio quis scriptor. De utraque enim opinione procedunt, quæ dicebat Benedictus XIV., in se-

ſecunda edit. latin. ſuarum Inſtitut. : *Opinionum novitas diſplicet, & nullum Diploma Pontificium pro concedendis Indulgentiis unquam vidimus, in quo ea ſingularis conditio præferatur.*

Colliges ſecundo ſolidam & ſanam, non novam, ſed veterem eſſe Diſſertationis hujuſce doctrinam, quæ tradit ſuppoſita auctoritate, & cauſa juſta in concedente, & ſtatu gratiæ in ſubjecto nil aliud *per ſe* requiri ad Lucrandas Indulgentias, & ſolum per accidens ex voluntate concedentis requiri Executionem operum, quæ ille per modum conditionis hic & nunc exegerit. Id quod etiam ex Benedicti XIV. Inſtitutione ſatis conſtat, qui docens Gregem ſibi commiſſum pro lucranda Indulgentia, hoc unum monet ſuppoſito ſtatu gratiæ, ut diligenter & fructuoſe per-

perficiat opera, quæ decernuntur. Id ipſum fuſius docuerat Suarez diſp. 52. ſect. 4. de Indulgentiis.

Colliges 3. non eſſe de neceſſitate abſoluta Indulgentiæ, ut exigatur aliquod pium opus ad effectum ejus obtinendum, nec eſſe de neceſſitate cauſæ proportionatæ, ut ſemper compleatur per opus injunctum. Ut cum D. Thoma, & Ven. Bellarmino ſentiunt unanimiter Doctores.


Quod ſi quis voluerit refutationem eorum, quæ recentiſſimus Libellus hoc anno 1760. editus affert adverſus hanc diſſertationem, adeat ſi lubet tom. 1. de Indulg. Rmi P. Fr. Theodori a Spiritu Sancto, adhuc Deo dante in Urbe ſuperſtitis & in materia præſertim Indulgentiarum peritiſſimi, ibique cap. 8. art. 3. inveniet abunde disjectam ejus libelli opinionem, cum ſuis funda-


men-

mentis, ita ut quidquam ulterius reponere ſit prorſus *actum agere*. Profectò tempus tererem (quod cum res poſtulaverit non recuſo) ſi cum iis congrederer, qui de rebus, quæ apud probatiſſimos, tum veteres, tum recentes Theologos extra controverſiam ſunt, controverſiam faciunt, & ſi quid caſtigatè dixeris, id alio ſub aſpectu, detortàque ſententia Populo traducendum obtrudunt.

Cæterum noverit Lector, non præcisè Cajetani, ſed aliam opinionem magis ſingularem eſſe, quam præſens diſſertatio ſummopere improbat, utpote quæ requirit pro Capacitate in ſubjecto impotentiam, *adæquatè* ſatisfaciendi, & ut docet Suarez diſput. 52. ſect. 9. n. 1. *longè improbabilior eſt, quàm opinio Cajetani, quia ferè omninò enervat, & tollit facultatem concedendi Indulgentias.*

FINIS




BIBLIOTECA